

adeo depingit nobis malorum imaginem, quibus usque ad supremum diem est Sabellicus confictatus; Jovius tamen, ut qui in dicendo solet esse apertior, noluit mortis causam occulere. *Id suscepsum munus (nempe Enneadas, quarum scriptioni tum operam dabat) naviter servatus scribendo, ad septuagesimum fere annum pervenit, gallica tabe, ex va- ga venere quaesita non obscure consumptus.* Quod etiam expresse narrat Joannes Latomus in sepulcrali epigrammate, quo Sabellici elogium a Jovio contextum clauditur.

*Magnus in hoc tumulo jacet ille Sabellicus, orbis*

*Cujus ad ingenium non satis unus erat.*

*Tempora permodicis incluserat omnia chartis,*

*Servire exemplo quae potuere aliquo.*

*In venere incerta tamen hic contabuit: atque*

*Maluit Italicus GALLICA FATA pati.*

*Qui jurat humanos scire atque evolvere casus,*

*Si fugienda facis, & facienda fugis?*

Labbe, Jesuita doctus in primis, *Epitaphiorum thesauro* pag. 371. dum pudet hominem Gallum, galicum morbum vocare venereum luem, legit in Latomi epigrammati versu sexto:

*Maluit Italicus INDICA FATA pati.*

Quod ad obitus diem spectat, haudquaquam audiendus ille est, qui eum, ut antea diximus, extinctum narrat post annum M. D. XIII. eoque minus Aloysius Contarenus parte I. *Viridarii historici* pag. 497. (a) ubi ejus mortem confert in annum M. D. XXXX. Quidam vero alii, in quibus Leander Albertus in *Descriptione Italiae* (b); Nicolaus Reusnerus, quem citat Sandius in *Notis ad Vossium de historicis latinis* pag. 480. editionis Hamburgensis, 1709. in 8. Hieronymus Ghilinus III. volumine *Theatri hominum literatorum*, quod ipsa auctoris manu descriptum exstat apud Senatorem lectissimum Vincentium Gradonicum, d. Marci Procuratorem, hac in re falluntur omnes: cum non anno M.D.VII. ut illi narrant, sed superiore Petrus Cardinalis Bembus, coaevus Coccio & amicus, tribus in locis operum suorum aperte declareret, Sabellicum vivere desiisse. Ac primo, cum septimo *Historiarum* libro narrasset, a Senatu decretum esse, ut Bajaseti, Turcarum regi, Alexium, in Illirico insula, redderetur, ne is pacem, quam cum illo fecerant, si rejiceretur, frangeret: statim subjicit: Erat paucis ante id Senatus consultum diebus Marcus Antonius Sabellicus, qui res Venetas conscripsit, ipsa in urbe mortuus, laudaveratque illum Egnatius. Praeterea Bembus Alexandro Cribellio, Sabellici discipulo, rescribens epistola ea quae habetur quarto *familiarium epistolarum* libro, data Venetiis, octavo kal. majas M. D. VI. Aduentum, inquit, ad nos tuum Sabellici doctoris tui causa non est cur festines: is enim mortem obiit, clarus mehercule vir, & plane bonus. Sed apertius annum declarat mortis, immo & diem, alia ad Philippum Beroaldum minorem epistola, quam item Venetiis dederat tertio kal. majas M. D. VI. Ibi eum salutare se ait communium amicorum nomine, praeter Aldum, qui quidem aberat, cum has ad te literas darem, & Sabellicum, qui mortem obierat ad XIII. cal. majas. Joannes Baptista Egnatius, humaniorum literarum ipse quoque insignis in hac urbe professor, funebrem de laudibus illius orationem habuit, quam tamen, neque

(a) Giardino storico,  
ec. In Vi-  
cenza, ap-  
presso gli  
Eredi di  
Perin li-  
braro, 1597.  
in 4.  
(b) I.c.